

VC
3578





h. 2, 79.

V c
3578

1015

SERMO PARENTALIS,
Ultimis Honoribus
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
**DN. JOHANNIS
GEORGII,**
Saxoniae, Juliaci, Cli-
viae, Montiumque Ducis, S. Rom. Imperii Prae-
fecti Praetorii, & Electoris Octoviri Landgravii
Thuringiae, Marchionis Misniae, & Utriusque Lusa-
tia, nec non Burggravii Magdeburg. Comitum
Marcae & Ravensbergae, Dynastae in
Ravenstein:

PII, PACIFICI, PATRIAE PATRIS:
dictus

In Academia Salana

d. XXX. Mensis Decembr.

ANNO cIo Ioc LVI.

ab

ADOLPHO GEORGIO à Warnsdorf/
Equite Lufatio.

JENÆ, Litteris Sengenvaldianis.



SEDMON BENTLEY

THE UNIVERSITY OF

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH





Serenissimo Principi ac Domino,

DN. JOHANNI GEORGIO II.
Saxoniae, Juliaci, Cliviae, Montiumq; Duci,
Sacri Romani Imperii Praefecto Praetorio & E-
lectori, Landgravio Thuringiae, Marchioni Misniae, & utriusq; Lu-
satae, nec non Burggravio Magdeburgensi, Comiti Marcae &
Ravensbergae, Dynastae in Ravenstein, &c.

Reverendissimo atque Illustrissimo Principi ac Domino,

DN. AUGUSTO,

Administratori Archi-Episcopatus Magdebur-
gensis, Saxoniae, Juliaci, Cliviae, Montiumque Duci, Landgravio
Thuringiae, Marchioni Misniae, & utriusque Lusatae, Comiti
Marcae & Ravensbergae, Dynastae in Ravenstein, &c.

Illustrissimo atq; Celsissimo Principi ac Domino,

DN. CHRISTIANO,

Saxoniae, Juliaci, Cliviae, Montiumque Duci,
Landgravio Thuringiae, Marchioni Misniae, & utriusque Lusatae,
Comiti Marcae & Ravensbergae, Dynastae in
Ravenstein, &c.

Illustrissimo atq; Celsissimo Principi ac Domino,


DN. MAURITIO,

Duci Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium,
Landgravio Thuringiae, Marchioni Misniae, nec non superioris &
inferioris Lusatae, Comiti Marcae & Ravensbergae, Domino
in Ravenstein, Locumtenenti Balliviae per
Thuringiam, &c.

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS.



Aluiffem laeta indicina meã sub-
jectiffimam mentem declarare,
fed proh inexsuperabilis fato-
rum



rum vis effecit, ut lugubri parentatione
præstare nunc debeam. Nec illam puto
ingratam fore, adumbrabit enim, quoad
parvitas mea permisit, Serenissimi Vestri
Patris, beatissimæ & gloriosissimæ memo-
riæ vitam, merita & heroicas virtutes:
Hanc Parentationem lugubrem æternis
Vestris Nominibus inscribo, & ad pedes
Vestros subjectissimè depono. Suscipite
illam innubi vultu, & in Troica secula quàm
felicissimè vivite, quod optat

Vestrarum Serenitatum &

Illustrissimarum Celsi-

tudinum

Subjectissimus

ADOLPHUS GEORGIUS à **Wernsdorf** /
Eques Lusatius.




ILLUSTRISSIMI ET CELSISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DN. BERNHARDI
SENIORIS,
DUCIS SAXONIÆ, JULIACI, CLI-
VIÆ ET MONTIUM, LANDGRAVII
THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, CO-
MITIS DE MARCA ET RAVENSBERG,
DYNASTÆ IN RAVENSTEIN,
PRINCIPIS ATQUE DOMINI MEI CLEMENTISSIMI,
RECTORIS HUIUS ACADEMIÆ SALANÆ
MAGNIFICENTISSIMI,
LEGATE SPLENDIDISSIME,

Magnifice Dn. Pro-Rector, Viri Maximè Re-
verendi, Magnifici, Nobilissimi, Consultissimi, Experientissimi,
Amplissimi, Excellentissimi, Reverendi, Clarissimi, Patres con-
scripti, Dnn. Præceptores atq; Fautores summâ animi observan-
tiâ ætatem colendi: Nec non Clarissimi, Nobilissimi ac erudi-
tissimi Dnn. Commilitones, Fautores & Amici
singulariter honorandi.




Agnum ac difficultate ple-
num aggressus sum laborem;
de SERENISSIMO, PO-
TENTISSIMOq; Saxonix
Electore, JOHANN E
GEORGIO, beatæ recor-
dationis, verba facere mihi jam proposui, & qui-
dem



dem ita dicere, ut summa merita pariter & heroicas virtutes, quæ par exemplum vix habent, deprædicem. Vires id superat meas, qui nec ingenio valeo, ut supremum tanto Heroi pietatis officium exhibere, nec eloquentiâ, ut quæ dicenda digna exprimere oratione possim.

Quid igitur faciam, Auditores? Confitebor vobis parvitatem meam: magnitudo debiti mei flagitavit, imò mihi imposuit, ne silentio nunc saltim ingratus sim, religioni inde duco Patriæ Patri Optimo Maximo non parentare; Cum enim in ditione sua natum, educatum iuxta & imbutum litteris me esse recorder, ingratis civis notam incurrerem, si tanti mœroris securus, lugente universâ Patriâ, solus vocem cohiberem luctuosam. Ea enim sunt Beatissimi Principis in patriam merita, quæ non domi tantum & in iis, quæ ipsi subjectæ fuerunt, ditionibus, celebrentur, sed hic quoque ac vel quaquâ patet terra, ubi suum pretium viget præclare factis.


Sufcepi ergò indignus dicendi partes, quamvis implere non possim: solatur tamen ac reficit me, quod in rebus gravioribus ipse conatus, licet infra meritum, licet impar voluntati, laudem meretur. Dabitis eapropter, Auditores, veniam sermoni indiferto labenti sub onere multitudinis. Si quis enim, quantus fuerit Potentissimus Elector, satis à me laudari posse existimat, næ ille tenuitatem ingenii mei nondum
ex-



exploratam habet, & qui à quoquam vel discretissimo, quantus fuerit noster Heros exhiberi posse arbitratur, næ ille etiam magnitudinem virtutum ejus ignorat. A vobis igitur, Auditores, observanter & officiosè peto, ut mihi dicenti benevolam operam dare ne dedignemini, cujus si eloquentiam minus probabitis, at humillimæ devotionis professionem favore vestro dignam putabitis.

Nihil tam gloriosum est, quàm honestè & benè nasci, quod est natales ducere à Parentibus Majoribus ob res præclarè gestas illustribus, inde felicitatis, quæ primò contingere solet hominibus, pars maxima meritò æstimatur. Et vetus opinio est, jam inde à mundi ortu plurimum sapientum firmata consensu, magnum momentum esse non tam in natali solo, quàm in ipsa origine; genus enim Majorum sæpe numero vim bonitatemque seminariam instillat posteris. Divinus ergò Plato scitè dixit: Boni ideò provenerunt, quia ex bonis traxerunt originem.

Et hanc felicitatem singulare divinæ benignitatis donum esse, quotusquisque non intelligit? Istam verò Serenissimo Electori nostro fati curâ divini obtigisse constat: Originem quippe trahit ex pervetusta Saxonum Gente, & quidem ex familia Wittichindéa, quæ tot seculorum memoriâ, late diffusâ potentiâ & excelso- rum Imperatorum ac Principum grandi copiâ
a 2 nulli,



nulli, quæcunque tandem illa sit per universam Europam est secunda.

Ex hac stirpe & Avus Augustus & Proavus Henricus, & Abavus Albertus gloriosissimæ memoriæ sunt prognati. Ex eâdem itaq; oriundum Genitorem Serenissimus noster Elector habuit Christianum Primum, veræ fidei & pietatis studiosissimum; Nactus autem Matrem Sophiam, Johannis Georgii Marchionis & Electoris Brandenburgensis Filiam, Principem nunquam satis laudandam. Natus verò fuit Anno supra millesimum quingentesimum octogesimo quinto, tertio Nonarum Martii, horâ decimâ post meridiem, ubi absque compendinato per sacrum regenerationis fontem Christo oblatus & arbori vitæ nomine Johannis Georgii, præsentibus Dn. Avo & Avia, insertus ac cœlesti sanctitate vestitus fuit.

Acceperat à Deo ingenium ad magna & laudabilia accommodatum, generosam indolem, nihil non præclari pollicentem, quæ instar flammæ fursum evolare, & ad summa quæque contenderet, id quod accedente ad nativas dotes digna loco & natalibus educatione vitæ omnis magisterio factum est egregiè. Quare generosissimum ingenium statim optimis acerrimisque Præceptoribus traditus est, quibus ille, vix prima infantia spatia ingressus, incredibilem spem fecerat, dum derepente ante ætatem virtus emicabat, hinc tantò magis illum diligere
coepe.

coeperunt, quantò hanc indolem propiùs inspexerunt, omni ergò liberali doctrinâ elegantissimè expolierunt.

Præmaturâ verò, proh dolor! morte Laudatissimus Parens Electori nostro ereptus fuit, inde educatio Matri Illustrissimæ fuit relicta: quæ nihil prætermisit, quod ad insitæ virtutis cultum faceret, perrexerunt igitur Informatores ejus animum optimis imbuere moribus juxta & religione sincerâ: Nam Aula istius Pietatis & Virtutis officina erat, in quâ locus tribuebatur nemini, nisi qui ad ejusdem exemplum, pietate in Deum, vitæque sanctimoniâ seipsum commendaret. Quia ergò, ut in semente posita est spes messis; ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione pueritiæ enascitur: Tenerrima Electoris mens saluberrimis quæ timorem Dei præceptis instruebatur, sanctissimis dictis, & sermonibus aures personabant & cor implebatur, optimis vivendi rationibus assuefiebat & ut paucis multa complectar, religiosè & sanctè educabatur. Quæ educatio prosperum quoque eventum est fortita. Incredibili n. voluptate observârunt omnes, quantoperè profecerit, non tantùm enim sanctâ doctrinâ, verùm etiam historiæ omnis generis peritiâ omnium expectationem longò intervallò superabat, probè secum perpendens, nullum ad prudentiam feliciorum, quàm per historiam, gradum, nullam ad Rempublicam rectè gerendam tutiorem viam esse, quàm per prudentiam.

b

Ex

Ex hoc tempore exteras regiones adire apud animum decrevit, ut inspiciendo variarum gentium mores & perpendendo res gestas ulteriorem sibi pararet prudentiam & vivendi disciplinam, id quod in vitâ Regibus ac Principibus est felicissimum, ut experientia rerum magistra & exempla luculenter contestantur.

Itaque primò celebriores Germaniæ provincias, quæ ad Rhenum pertinent, perlustravit, quibus magnò labore summòq; studiò perlustratis Galliam petiit, illam Regionum, quæ ad Occidentem recedunt, felicissimam propter soli fertilitatem & venerandam Regum supra omnes alios Reges majestatem. Hanc Regionem non otiosè, non voluptatibus, non ineptiis deditus peragravit, sed ductu exactissimâ virtute & prudentiâ, cuncta, quæ aut admiratione digna, aut fructuosa fuere, curiosè indagavit & sedulò annotavit. Locupletissimi testes esse potuerunt egregii discursus, quos, quoties illorum locorum & rerum ibidem gestarum memoria ab aliis recoleretur, non sine delectatione jucundissimâ habuisse memoratur.


Relictâ Galliâ iter in Italiam pari prudentiâ suscepit. Rem enim suâ personâ dignissimam se facere existimavit, si provinciarum illam illustrissimam inspectaret: Est enim ibi cœli soli- que ad summam fertilitatem mira consensio, tanta quoque omnium rerum ibidem est nobilitas,

litas, ut quicquid est, quô carere vita non debe-
at, nusquam sit præstantius.

Non v. moratus est semper uno in loco, sed va-
ria loca visitavit, modò Venetorum ditionem,
modò Veronam, Mediolanum, Romam, modò
Florentiam salutavit, adeoque mentem suam
variarum rerum notabilium notitiâ saturavit, &
quasi saginavit. Verùm expertus est in ipsò iti-
nere singularem Dei Providentiam, præprimis
Romæ, ubi fauces, ut ita loquar, Inferni erant a-
pertæ, & Mediolani, ubi in gravissimum mor-
bum incidebat, sed adjutus precibus maternis,
utpote quibus nihil fortius esse putabat, incolu-
mis servatus est.

Ex his regionibus dum feliciter redux fa-
ctus est, summâ cum lætitiâ & congratulatione
Serenissima Mater vidua, nec non Serenissimi
Fratres, Christianus Secundus Elector, & Au-
gustus juxta cum ordinibus, quotquot aliquô
numerò inveniebantur in Electoratu, illum ex-
ceperunt, & modis omnibus gavisi sunt, jubila
hinc & plausus nullibi non audiebantur, quod,
exantlatis tot periculofissimis itineribus, tot im-
mensis laboribus, Patriæ in spem optimam & lar-
gam à supremo Numine redditus fuerat.

Ab hoc tempore meditari cœpit legem a-
pud Lydios sanctissimam, quam Plutarchus
Autor gravissimus memorat, quod Reges &
Principes necessario mariti esse debeant, quæ
lex tam strictè servabatur, ut si Princeps more-



retur relicto Filiò, per atatem gubernationi
jam idoneo, non prius ad Regni gubernatio-
nem admitteretur, quàm uxorem duxisset.

Quapropter Serenissimus Princeps cum
inclyta Sponsa Principe Generosissima & Illu-
strissima SYBILLA ELISABETHA,
Illustrissimi Principis ac Domini, Domini
FRIDERICI, Ducis VVürtembergici Filia,
Principe in tantum laudanda, in quantum Pie-
tas & Pudicitia intelligi possunt, Dresdæ nupti-
as celebravit Anno millesimo sexcentesimo
quinto, decimo sexto Calend. Octobr.

Non ingratum fortè erit, si adduxero
quàm egregium testimonium Celsissima Ma-
ter ipsi dederit. Cum Saxonici Legati Virginem
hanc Illustrissimam, Serenissimi Ducis Saxo-
niæ JOHANNIS GEORGII nomine ambi-
rent, hanc ipsi laudem Mater Illustrissima tri-
buit, quòd nunquam Illustrissimos Parentes ad
iram provocaverit: pulcherrima sanè laus, imò
pulcherrima Virtus illa, quæ sexum mulie-
brem, in primis Virginem Principem maximè
decet, quæ & postea ipsius Celsitudinem Illu-
strissimam, tanto Principi legitima Conjugii
foedere sociatam condecoravit & splendide ex-
ornavit. Sed eheu! quàm subito lætitia muta-
ta est in tristitiam, quæ tantam familiam acer-
bissimò luctu doloreque confudit: usque adeò
nihil in rebus humanis sincerum aut certum
est, sæpeque de medio lepórum fonte, ut Lu-
cre-

cretius loquitur, surgit amarum aliquid, quod in ipsis floribus angat: Etenim illa, proh dolor! in ipsis penè Conjugii suavissimi primordiis absque prole vitam hanc caducam elapso anno cum aeternâ commutavit:

Subsequente anno cum Serenissimo Fratre Domino Christiano Secundo Saxoniae Electore ob res gravissimas ad Sacram Caesaream Majestatem Rudolphum Secundum Pragam profectus, honorificentissimè ab eodem in arce Regia exceptus est, intra sex septimanarum spatium verò divina protectione tutus Dresdam rediit, ubi postea ad secunda vota transiit cum Generosissimâ & Serenissimâ Principe ac Dominâ, Dominâ Magdalena Sybillâ, Illustrissimi Principis ac Domini, Domini Alberti Friderici, Marchionis Brandenburgici ac Ducis Borussiae Filiâ, & quidem satis auspiciatò: præterquam enim quòd inter se conjunctissimè vixerunt, illius participes felicitatis facti sunt, quæ divinis oraculis abundè promissa est. Fœcundissimum enim fuit Conjugium, quamvis cum ægrimoniâ permixtum: quia initia Conjugii luctuosissimo funere fuere contristata, dum Serenissima Princeps primogenitum in partu mortuum enixa est; summa tamen Numinis benevolentia certissimis patebat documentis, dum biennio sequenti Generosissimæ Filiae duæ nascebantur; quod cum inusitatum sit in principibus personis, dictum est

c


in-

incredibile, quantum gaudii excitaverit, & quantam felicitati gloriam addiderit. Antiquitatis Servatores Historici de Tiberio memorant, quod de suscepta à Filio prole geminâ adeò se extulerit, ut apud Patres in Senatu palàm dixerit: Nulli ante Romanorum ejus fastigii viro id contigisse: Verùm Livia Drusi nullam postea prolem edidit. Itaque vice primâ omnes fœcunditatis nervos consumpsit: Nostri verò Electoris **MAGDALENA SYBILLA** felicissimi uteri pignora plura post dedit, quam ubertatem divina largita est benedictio, ut splendidissimè Serenissimi Electoris domum amplificaret.

Cum autem masculam regendis Reipublicæ habenis olim idoneam prolem Parentes Illustrissimi desiderarent, non dimisit illos Numen supremum spei inanes, sed lætissimæ plenos faustis omnibus exhilaravit, dum sexies Illustrissima Princeps Mater factâ est in masculinâ prole, ex quâ prima & ultima in ipsâ crudâ ac tenerrimâ infantia properatâ morte sublata fuit. Quò exuberantius igitur & excellentius in Coniuge Serenissimi Electoris divinû donum fuit, tanto inferior Livia est, tantò Elector major feliciorque Tiberio fuit.

Sed prolatò pede gressum dirigimus ad summam rerum, quam felicibus auspiciis est nactus. Posteaquam enim Serenissimus Frater Christianus Secundus, ob negotia Imperii conven-

ven-



ventui Electorum Mülhusii indicto interesse voluit, at inopinâ sed placidâ morte huic mundo valediceret, Electoralis dignitas ad ipsum pervenit, quam more solenni suscepit cum magnô omnium Ordinum in Ducatu hoc Saxonico applausu. Adventabant in Aulam Electoralem Viri Principes. Confluebant hinc inde Comites, Barones, Nobiles denso agmine, qui novum Electorem salutarent, fausta que acclamatione ipsi de honore & dignitate septemvirali gratularentur.

Præcipuè Electori novo apprecabantur Friderici Primi bellicosi, Tritavi sui animum fortem, Friderici Secundi placidi Atavi mansuetudinem. Alberti Abavi robur Heroicum: Heinrici Proavi pietatem & repurgatæ religionis studium, Augusti Avi verè Augusti felicitatem, Prudentiam, perenni-salvam famam, Christiani Primi Parentis Serenissimi splendorem eximium, heroicam virtutem, animique excelsitatem; Christiani Secundi Fratris religionis Lutheranae fervorem pium & zelum ardentissimum adeoque gloriosas & heroicas virtutes deinceps augendas animitus vovebant.

Cum suscepta est à Principe Electoratus Saxonici gubernatio, sine morâ subditos harum Regionum jurejurando devinctos suam in fidem recepit, & memor Sapientiorum Philosophorum effati, Rempublicam nec sine Numine gubernari, nec sine religione Numinis felicem esse

esse posse; inde religionem in sanctâ Scriptura & Augustana Confessione fundatam Saxonici Ducatus ordinibus seriò commendavit. Imò illud inter præcipua officii sui regii esse existimavit, cavere, ne quid Ecclesiæ ac Reipublicæ seminarium capiat detrimenti. Rectè enim iudicavit Elector hoc fulcrum & firmamentum esse bonæ gubernationis fontemque & scaturiginem omnis humanæ felicitatis, si in pretio haberetur sanctissimum Dei verbum, adeoque eâ in parte sollicitè exilavit, atque ut illud nulla errorum effusâ caligine per omnes ditiones clarissimè splenderet, enixissimè operatus est.

Laudabili quoque Antecessorum exemplo mandatum promulgavit clementissimum totum per Electoratum, ut die cujuslibet septimanæ sexto peculiare conciones pœnitentiales instituerentur, ut ita Epicureismus & securitas illa carnalis ex animis radicitus quasi evellerentur.

Non multo post etiam duo Jubilæa celebranda intimavit, quorum unum in memoriam abrogati Papatus directum erat. Populo Israëlitico olim solenne fuisse novimus, quod erepti è servitute diuturna aut à persecutione & tyrannide truculentorum hostium liberati, non modo privata religiosæ pietatis ac gratitudinis exercitia; verum etiam dies festos cum singulari plausu ordinârint. Pari ratione per omnes

omnes Electoratus Saxonici oras solenniter instituit festos dies, quibus gratiæ exultantes benignissimo Deo agerentur, quod ex spiritualibus Anti-Christi Romani vinculis, fervituteque ista traditionum humanarum per Divum Lutherum, Heroem illum cælo demissum, Virum pietatis gloriâ vel maximis Patribus haud minorem, liberati simus, insimulq; castæ funderentur: preces, ut deinceps stare à nostris partibus, & quicquid immineret periculorum, in ipsius Anti-Christi caput convertere vellet; Præclarum & omni celebrandum laude institutum! Quotus enim quisque est, qui ignorat tenebras & spissos errores, quibus orbem Christianum quaquâ patebat, polluerat quasi ac temeraverat Romanensis idololatria? quàm squalida fuerit Ecclesiæ facies Papalibus traditionibus deformata? ubi incorrupta pietas & sincerus Dei cultus, ibi sedem suam ac larem Papalis doctrina habebat. Verùm enim verò Lutheri divinitus excitati operâ discussæ sunt illæ tenebræ, expunctæ traditiones, conculcata est idololatria, divinâ benignitate nitore restituebatur Ecclesia. Infurgebant quidem in eum undique non modò omnes claustrorum greges, verùm etiam quicquid sceptrorum ac potestatum per universum penè orbem eminebat, sed inter medios hos terrores, minas & insultus perennâsse eum & evaluisse læti reminiscimur.

Postquam primum feliciter fuit peractum,

d

pari

pari pietate & zelo tempestivo alterum quoque Jubilæum magnum instituit & in memoriam Confessionis Lutheranorum in Comitibus Augusta Anno cIo Io XXX. celebratis Imperatori Carolo V. & Imperii Ordinibus exhibitæ & publicè lectæ celebrari iussit. Ut ita summo Deo pro maximâ in genus humanum bonitate & beneficiis numero innumeris, quæ, quâ revelando ac illustrando veritatem, quâ defendendo eandem & conservando, largissimè contulit, laudes redderemus debitas & gratias: Et hanc existimavit efficacissimam rationem esse invitandi Deum ad ulteriorem beneficentiam.

Cùm Rathmannus Concionator quondam Dantiscanus schisma scandalorum, de Verbi divini efficaciam, ab Orco revocans Suencofeldiana deliria, excitasset, convocavit Serenissimus Elector peculiari mandato è tribus Academicis Saxonis Theologia Antistites celeberrimos, iisdemque injunxit, ut genuinam de Verbi divini naturâ, proprietatibus, & virtute illuminandi, convertendi & salvandi doctrinam concinnarent, quod ipsum subjectissimo studio ab ipsis peractum, quippe ad normam S. Scripturæ Spiritus Sancti assistentiâ doctrinam Rathmanni examinârunt, errores monstrârunt, reprobârunt & sinceram de Verbo DEI doctrinam publici juris fieri permiserunt.

Quid porrò dicam? Opus illud Reformationis æternâ memoriâ dignum, quod Deus per
Fri-

Fridericum Electorem Sapientem cœpit, quod Johannes Elector auxilio Dei constanter continuavit, Johannes Fridericus animosè defendit, Mauritius fortiter propugnavit, Elector Augustus prudenter ab hæresibus vindicavit, quod Christianus Pater piè fovit, nec non ipsius Frater; idem noster Elector continuandum, defendendum, conservandum, vindicandum, fovendum toto corde sibi habuit persuasum: quâ fide, diligentia, curâ & sollicitudine juverit ac promoverit Religionis propagationem, quàm magnas impensas in publica colloquia infumserit, universa Misnia vel Lipsia testis est fat locuples. Evincit hoc ipsum unicum illud aureum Pupillæ Evangelicæ oculatissimæ ejusdemque Apologiæ scriptum. O heroicum & divinitus excitatum fervorem!

Ex hoc fervore pullulavit singularis amor, quò Dei mystas profecutus est Elector, impensè eos amavit & coluit, omninò statuit, eos nihil aliud esse, quàm Dei ministros & legatos, qui pacem, ut cum Spiritu Sancto loquamur, annuntiarent, quàm cooperarios, œconomos ac dispensatores Mysteriorum Dei, quàm fundamentum Ecclesiæ lapide angulari existente Christo. Et hæc observantia erga ministerium, cum ipsius animo infedisset, docentibus benevolas aures præbuit, monentibus morem gessit, objurgantibus ignovit, egentes sublevavit, oppressis opem tulit, nec quicquam durius un-

quam in Ecclesiæ ministros, si intra tramites sui officii se continerent, statui passus est.

Gymnasia & Scholas publicas, quas omnis Sapientiæ, Virtutis & Eloquentiæ, sed imprimis Religionis incorruptæ officinas esse sciebat, benignè fovit, auxit, ampliavit, & contrà vim & insidias omnes eorum, qui ordinis Scholastici dignitatem obtritam, gratiam extinctam & privilegia abolita cupiunt, egregiè tutatus est.

Sed videndum, quî erga summum Imperatorem sese gesserit. Petrinum est monitum: Timete Deum, honorate Regem. Hoc ipsum plurimi semper fecit Serenissimus Elector Christianus Secundus gloriosissimæ memoriæ; inde symbolum ipsi quotidianum fuit: Time Deum, honora Cæsarem. Vestigia beatissimi Principis Fratris legit noster Elector, quare & verbis, & opere, Cæsarem ad extremum usque spiritum honorare non destitit, amavit ut Patrem, ut Dominum veneratus est; nunquam ejus nisi plenam observantiæ mentionem fecit & quamlibet absentem exquisito verborum honore est profecutus.

Legibus Imperii summâ voluptate paruit, decretis morem gessit, consuetudinibus obsecundavit, & imprimis ne pax illa, quæ utrinque Religioni data, nostrorum pervicacia & temeritate dissolveretur, unicè præpediendum sibi putavit. Hoc enim vinculum, si rumpatur, hic nervus, si incidatur, actum erit omni de Germaniâ,

niâ, & dissidentes inter se partes non alio, quàm quo Dracones & Elephantes, eventu congregentur.

Idem noster Elector Serenissimus fas & æquum, bonum & honestum egregiè defendit, & ne violaretur fides, quæ est Anima Societatis humanæ; maximo, quo fieri potis erat, opere sibi propugnandum existimavit, leges & Cæsareas & provinciales eludi suoque loco moveri nunquam, sed id operam dedit unicè, ut in earum sensu pariter & usu constaret interpretationis, quæ quidem haberi poterat, certitudo, sententiarum æquitas & executionis moderata severitas; Si enim sit absque hac triplici cautione, magistratuum decreta non jam leges sunt amplius, sed Sophistarum ludibria & inania ter-
riculamenta.

Quid nunc de virtutibus heroicis referam? quas ad miraculum usque conspiciendas exhibuit. Nihil jam dicam de Electoris clementia, quæ maxima fuit. Nulli subditorum vis ulla facta, nihil injuriæ cuiquam illatum, si qui subditorum aliquid humanius passi sunt, ipse *τυρογενής* non erat, nec à suppliciis quicquam voluptatis capiebat, sed cum rei ad supplicium abducerentur, cum Biante vix lacrymas continebat.

Ad cælum usque extollenda est liberalitas & munificentia, quam à primo Regiminis sui laudatissimi anno usque ad vitæ finem aliquot mille florenis Ecclesiarum & Scholarum mini-
e stris,

stris, ut eò melius se sustentare possent, donatis & distributis, exercuit. Quot Studiosos, quorum res tenues & penuria laudabiles conatus morabantur non nihil & inhibebant, aluit Serenissimus in utraque Academia Electorali, magnis sumptibus; Numerus excurrit usque ad centum & quinquaginta Studiosos. Quâ ratione ex utrâque Academia tanquam ex equo Trojano sacri prodierunt milites, qui in Germaniâ & aliis regnis prælium Domini contra Adversarios cum insigni Ecclesiæ emolumento feliciter præliati sunt, hodièque præliantur. O beneficentiam nunquam satis de prædicandam! Taceo pueros & adolescentes in tribus Gymnasiis Electoralibus Portâ, Misniâ & Grimmâ, prætereo viduas & orphanos Ministrorum Ecclesiæ demortuorum, qui Serenissimi Electoris munificentiam largam experti.

Descendam ad Potentissimi Electoris vigilantiam, curam & industriam indefessam pro publico Provinciarum bono. Quemadmodum Palinurus ille in mari non interdum tantum gubernabat, sed ipsa nocte clavo affixus aëtricas cœli choreas notavit: Sic Serenissimus noster curam excubavit pro salute subditorum, gnarus scilicet prisca illius dicti; ut pro sis, præ sis, si prodesse nolis, neque præesse velis. Imperavit noster Elector optimè, quæ Patriæ & subditis, quamdiu præfuit, manibus pedibusq; præfuit. Cum Republica, cui totum se devoverat, de e-
jus.

ius incremento & promovendo bono, ardore animi indefesso & curis ingentibus quotidie contendebat. Aderat enim constans quædam & excitata vis mentis, quâ quidvis superabat, quâ contra pericula omnia & difficultates audentior semper invehebatur, quâ constanter ab aliis inquirebat, cum ita Respublica suaderet.

Perpendite, Auditores! quam vigilantem gubernatorem se præbuerit?

Onus Vicariatus Imperii binis vicibus sustinuit, communicato consilio Imperatorem Romano Imperio præfecit, in causâ Bohemicâ subditos Regni illius à rebellionē avocavit. Silesios & Lufatos absq; cæde & sanguine ad Cæsaream obedientiam revocavit, ab Electoratus sui latè patentis subditis omnem vim hostilem avertit, & pacem tam Imperio quam Electoratus restituit.

Transeo ad Humanitatem & Mansuetudinem. Philippus Rex, Alexandri Magni Parens, postquam Græcos divicisset, non defuerunt, qui ei suaderent, ut urbibus præsidia imponeret. Quid verò ille? animosè verò respondit, malle se diu benignum, quàm exiguo tempore Dominum perhiberi. Majori laude dignus est Serenissimus Elector, qui Ducatibus & ordinibus in Silesiam & Lufatiam ad Cæsaream devotionem perductis, nec urbibus nec subditis eorum præsidia imposuit, sed vetera illorum privilegia & observatas olim immunitates confir-

mavit, eosque omnes in libertate pristina constitutos insigni mansuetudine est complexus.

Possem recensere subditos, erga quos incendiis civitatum & pagorum magnam rei familiaris passos jacturam, incredibilem certè Serenissimus Elector commiserationem ostendit, dum tributa illis, quæ persolvere ex debitò necesse habebant, remisit.

Dies me deficeret, si omnes numero innumeras virtutes heroicas pro dignitate exponere fatagerem. Sufficiat inæstimabilis ipsius autoritatis mentionem adhuc tantum subjicere. Magni æstimârunt ipsum Imperatores Romani Rudolphus II. Matthias I. & Ferdinandus II. felicissimæ recordationis, & Ferdinandus III. longè pluris verò exteri Reges & Electores, ipsius familiaritatem sæpè exoptantes, infinities pluris verò Sacri Romani Imperii Principes & Dynastæ.

Manifestissimum singularis gratiæ documentum ex eo licuit animadvertere, quòd, dum Imperatores ad Seculares Sacri Romani Imperii Electores scripserunt, Tuæ dilectioni, Imperator Ferdinandus II. Anno 1624. mandavit, ut in omnibus Dicasteriis Cæsareis ad Serenissimum Saxoniam Electorem, scriberetur, Vestræ dilectioni, cujusmodi scriptionis seu allocutionis mos etiamnum in suo vigore. In Recessibus Imperii Electori titulus assignatur *Ihrer Churfürstl. Gnaden*. Sed ad mandatum invictissimi Impera-

pera-

peratoris Ferdinandi II. titulus sic præfigitur
 Ihrer Churfürstl. Durchleuchtigkeit. Sed mearum
 partium esse puto, si de felicitate Conjugii non-
 nihil subjiciam. Verissimè Tacitus: Non legio-
 nes, non classes æquè firma Imperii munimenta
 sunt, quàm numerus liberorum; cùm, quia
 occulta quædam majestas in illis est; tum verò,
 quod pravæ aliorum spes & fraudes inhibentur,
 si certi successores adsint. Hoc expertus no-
 ster Elector Serenissimus. Numerum libero-
 rum sat copiosum divinâ benignitate impetra-
 vit, nempe octuagesimam benedictionem libe-
 rorum & nepotum: dubito num ullius, ex o-
 mnibus familiæ VVitikindæ Principibus, con-
 jugium tam fœcundum & felix fuerit, felicitas
 hæc in fera secula ibit & deprædicabunt illam

Nati Natorum & qui nascentur ab illis.

Quis negabit nunc hanc liberorum frequenti-
 am Imperii fore munimentum firmissimum.
 Hæc ut viventi magno fuit oblectamento; ita
 morienti maximo solatio, reliquit enim hære-
 des earum, quas cum labore summo congesse-
 rat, opum, & successores pietatis, Virtutum
 heroicarum & officiorum publicorum, qui-
 bus de via vitæ jam fessus quasi lampada tra-
 dere potuit. Conditorem Romani Imperii
 Augustum adeò indulgentissimâ usum esse
 fortunâ, tantæque admirationi felicitatem
 ejus fuisse, antiquæ literæ memorant, ut
 in votorum abierit formulam: Cum quoties ali-
 f quem

quem vel supra humanæ conditionis fortem
 beatum optarent: Feliciorem Augusto preca-
 rentur. Liceat mihi hoc ad Augustum nostrum
 Electorem accommodare, de illo verè affirma-
 re possumus propter singularem felicitatem:
 Quis fuit alter felicior nostro Electore? Quo
 excelsiores nunc Divina Majestas Potentissimo
 Electori concesserat dotes, virtutes, dignitates,
 & prærogativas præ aliis, eò acerbior ipsius inte-
 ritus, eò magis deplorandus ipsius obitus, eò
 gravius vulnus infixit nobis supremum Nu-
 men. Valetudinem quidem immensam & inte-
 gram ac viridissimum senium quando intue-
 mur, quod per benè multos annos dederat DE-
 US, non possumus non prædicare Dei bonita-
 tem, cui nec in minore ætate defuit unquam fe-
 nilis maturitas, & postea in granditate annorum
 virile adhuc suppeditavit robur. Ast qui fieri
 aliter potuit, quàm ut vigiliis pluribus, laboribus
 infinitis, curis perpetuis fatigaretur tandem cor-
 pus adeò, ut dispensandis gentium fatibus impar
 esset; florentissimo enim & valentissimo cuiq;
 sine negotio in senectute vita eripitur, eò magis
 ergò morti obnoxia senectus erit negotiis distri-
 cta innumeris. Ergò gravatus annis optabat so-
 lutionem, quam lucro sibi futuram esse sciebat.
 Involutus enim suâ pietate minimè timebat mo-
 ri. Et quid metuat, qui secum Christum habet?
 Valedixit inde mundo, Serenissimæ Conjugi &
 Serenissimis Principibus Filiis & omnibus,
 quos

quos summo amore complectebatur, & fide invictâ & spe minimè dubiâ inter vota ardentissima beatam exhalavit animam & suos ad Majores evolavit. Sic nunc ereptus rebus humanis, despicit ludibria instabilis fortunæ & fruitur cœlestissimo præmio, cui comparando se hic composuerat, & in complexu Salvatoris sui vivit, & Majores sui similes præsens intuetur; Beatus ille in vitæ & mortis claritate: nihilo tamen minus vivit adhuc, vivetque semper atque etiam latius in memoriâ hominum & sermone versabitur. Vixit enim ut adhuc sit, postquam fuit, ut videre eum contingat, postquam ex oculis abiit. Reliquit enim post se consummatissimum Gloriæ exemplum.

Vale ergò mens cœlo recepta. Salve pignus in sinu Abrahæ, in custodia manus Dei, salve contemplator æternitatis, quam semper cogitasti; admirator Divinitatis, cui semper servivisti. Salve & vale desiderium totius Domus Saxonicæ, totius orbis Europæi, Nos tuarum heroicarum virtutum memoriam animis custodire, linguis propagare nunquam desinemus. Interea in omnem æternitatem fruire coronâ, quâ es insignitus, immarcescibili.

PHILIPPUS HORGE/BRUNSVIGA-
SAXO, ORATOR. & PHILOS. PRACT. P. P. ORDINA-
RIUS, SUÆ FACULTATIS & ACADEMIÆ
TOTIUS SENIOR

L. S. P. D.

Lacrymis, scribit alicubi, Belgii illud lumen, Lipsius
parentare mortuis, extremum officium est, sed & deco-
rum officium est: & laude ac memoria bonâ prosequi
defunctos, ratio & sapientia probant. Mihi ab ami-
cis haut aliter eveniat, nec lessio ac planctu, ut ille ait,
funera quisquam mihi faxit. Non lacrymas in pro-
pinquorum aut amicorum excessu, & luctum moderatum damnat, sed
laudationem lamentationi funebri præfert. Eadem planè multis ante
istum seculis, magnus ille Plutarchus in consolatione ad Apollonium
prodidit. Postquam enim multus contra mœrorem ac luctum immode-
ratum inibi fuerat, hæc ingerit verba: Sufficiunt, quæ retuli, demon-
strare, non debere nos ultra, quàm natura ac mediocritas ferunt, ad
inanes luctus & degeneres ejulatus exorbitare. Amare & bene velle
ei, qui mortuus est, non in hoc positum est, ut tibi ipsi dolorem inferas,
sed ut directo aliqua commodè ratione, quod præstiteris, si eum bona
memoria honoraveris. Nemo enim bonus lamentis; sed & hymnis
dignus est & laudationibus: non luctu; sed honorificâ recordatione:
non lacrymis à dolore exortis; sed primitiis quibusdam scitis. Siqui-
dem, qui inter mortales esse desuit, diviniorei cujusdam vitæ factus est
consors, liberatus servitute corporis & ærumnosis istis sollicitudinibus
atque casibus, quos necesse est ut præferant, quibus mortalis hæc vitæ
obtiget, donec conficiant fato destinatum ipsis vitæ curriculum: quam
quidem vitam nobis natura non, ut perpetuam possessionem, concessit,
sed pro fati legibus unicuique certâ ratione tribuit. Quum ergo hæc
ratione amicis ac bonis omnibus defunctis commodandum sit, juxta
Platonis quoque legem, quæ ita habet: Decens est, eos cives laudibus
exornare, qui cesserunt e vitæ, si corporis vel animi viribus res ardu-
as præclarâque gesserint, & legibus libenter paruerint: tum vel ma-
xime viribus Principibus, suis à subditis. Nam quot & quantis mo-
lestiis, curis, laboribus illi provinciarum ac civitatum rectores &
conservatores distringantur, in propatulo est; & multa de iis jam
in proscenium producere si allubesceret, non ea hujus admitteret pa-
gellæ angustia. Vel solius Senecæ Tragici audiamus verba. Ita apud
eum in Agamemnone Chorus:

O Reg-

O Regnorum magnis fallax
 fortuna bonis, in præcipiti
 dubioq; nimis excelsa locas.
 Nunquam placidam sceptrâ quietē,
 certumve sui tenuere diem.
 Alia ex aliis cura fatigat,
 vexatque animos nova tempestas.
 Non sic Libycis Syrtibus æquor
 furit alternos volvere fluctus:
 non Euxini turget ab imis
 commota vadis unda nivali
 vicina polo, ubi cœruleis
 immunis aquis lucida versat

plaustra Bootes:
 ut præcipientes regum casus
 fortuna rotat: metui cupiunt,
 metuiquē timent: non nox illis
 alma recessus præbet tutos,
 non curarum somnus domitor
 pectora solvit.
 Felix, mediæ quisquis turbæ
 parte quietus, aura stringit
 littora tuta, timidus mari
 credere cymbam, remo terras
 propiore legit.

Hinc Antigonum regem ferunt, traditum sibi diadema, priusquam
 capiti imponeret, retentum diu manibus considerasse ac dixisse: O no-
 bilem magis, quam felicem pannum! quem si quis penitus cognoscat,
 quam multis sollicitudinibus & periculis & miseriis sit refertus, ne
 humi quidem jacentem tollere vellet. Temisthocles etiam fertur, cum
 audisset, quosdam ambire magistratum, si mihi, dixisse duas ostende-
 retis vias, quarum una ad infernum duceret, altera ad tribunal,
 multo libentius ingrederer eam, quæ recta ad infernum duceret. Ab-
 sit ergo, longè absit tam grandis ingratitude à subditis bonis, ut quem
 Principibus viventibus ob curas & sollicitudines innumeras, ob præ-
 clara in Ecclesiam, scholas, resque publicas & privatas promerita,
 beneficiâque cumulatissima, amorem, honorem, benevolentiam, prædi-
 cationem debent ac deferunt, de mortuis juxta illud: Vivorum oportet
 meminisse, denegent, nec virtutum ac rerum bene gestarum lau-
 datione eos posteritati commendent adeoque in immortalibus gratia-
 rum hortis vivere faciant. Hæc animo secum volvens juvenis &
 stemmatis ortu generosus & virtutum studio majorum suorum æmu-
 lus, ADOLPHUS GEORGIUS à VVARNSDORF in Kubna, Eques Lusati-
 us, postquam Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus,
 Dn. JOHANNES GEORGIUS, Dux Saxonie, Juliaci, Clivia,
 Montium, Sacri Romani Imperii Præfectus Prætorio & Collegi Ele-
 ctoralis Octoviralis, ut & Domus Saxonica Senior, Landgravius
 Thuringia, Marchio-Misnia, & utriusque Lusatie, nec non Burg-
 gravius Magdeburgensis, Comes Marca & Ravensbergæ, Dynasta
 in Ravenstein, beatissima recordationis, ad d. IIX. Idus mensis su-
 perioris Octobr. placido obitu hac ex vita excessit, sui omnino esse mu-
 neris, ne ingrati erga Patriæ Patrem subditi notam subiret, pie cen-
 suit, parentalem Orationem exarare, inque ea inde a cunis usque ad
 capulum Serenissimi Electoris, Herois Pii, Magnanimi, vitam &



facta egregia, quanquam ex parte tantum & strictim, deducere. Eam
 verò non ineleganter conscriptam die perendini, qui dies Martis,
 horâ Xcimâ pomeridianâ, cum DEO, in auditorio Collegi superiori,
 quod Theologicum vulgò audit, recitaturus est. Cùm autem hæc
 Nobilissimi Juvenis pietas omninò digna, quæ à quovis pio ac bono al-
 bo calculo probetur, voce commendetur, studio juvetur, ideò eò minori
 verborum compendio Magnificum Academiæ Pro-Rectorem atque
 Facultatum omnium Professores, Doctores, Doctorandos, Viròsq; ho-
 noratissimos alios, & unâ Nobilissimum, Præstantissimum, atq; erudi-
 tissimum Studiosorum cœtum, observanter, officiose, amice oro, rogo, ut
 Nobilissimo juveni suam loco & horâ dictis præsentiam atq; audienti-
 am benevole indulgere ne dedignentur. Beneficii atque officii hujus
 ipsum unâ mecum non immorem spondeo. P. P. V. Kal. Januar.
 Anni c1o 1oc LVI.




Ad Nobilissimum ac Pereximium
DN. ADOLPHUM GEORGIUM
 à VVAHRENSDORFF, NOBILEM
 LUSATUM,
SERENISSIMO ELECTORI SAXONIÆ
 In Almâ Salanâ, Justa persolventem;
 Amicum suum dilectum!

Heu cani CAPIUS, cecidit DECUS atque CORONA!
 Heu cecidit NOSTRÆ firma columna DOMUS!
 Sic querulo planctu suspirat Misnia: Saxo
 Lusatus pariter, Thyrigetæq; gemunt.
 Heu Pater, Auriga ac Equites! heu deseris orbos!
 Heu PATRIÆ Phœbus! siccine prorsus abis!
 Sed coelum repetis, mutans mundana perenni
 Imperio; DOMINI gaudia vera vides.
 Quare sit REQUIES TIBI sit PAX UNA, triumphis
 Innumeris potior; sit TIBI terra levis!
 Talia dicentes inducis, NOMINIS AUCTOR
 Hujus Sermonis, quem probat omnis amans.
 Ipse meum Votum supperaddo, planctus ut iste
 Debitus, ad laudem janua lata fiet!

Benevolentie testanda causâ faciebat,

Christianus Chemnitius, D. P. P.
 Pastor & Superintendens.





Ad Generosum ac Nobilissimum

DN. ADOLPHUM GEORGIUM

à VVARNSDORFF, NOBILEM

Lusatum in Kuhna,

Amicum atque Domesticum singulariter

dilectum ac honorandum,

POTENTISSIMI HEROIS,

Dn. JOHANNIS GEORGII,

Saxoniae Electoris, &c. memoriam

laudatione funebri reco-

lentem.

**ENSiferi magni dum scribis maxima facta:
Adscribis Famæ TE Patriæque Patrem.**

*Benivolentiori adfectui testando
deprop.*

JOH. Ernestus Gerhardus,

SS. Theol. D. & P. P.



OCtoviri, dum facta refers vitamq; beati,
Et tentas Patriæ solvere justa Patri: (est,
Adstipulor facto, tanto quod Principe dignum
Atque pium, tanto cedere justa Duci.

Benivola manu menteq;

f.

Christophorus Philippus Richter/

D. Com. P. C. & Prof. P.



**VVARNSDORFI, illustris præfulgida
stella Lycæi**


Salani, cathedræ dum TE committere cerno

g 2

vires

P.

No 3578 H



vires ingenii, atque gravi de themate, nempe
Saxonis **E N S I F E R I** de laudibus, atque
triumphis

nec non fatali de sorte, favente Minervâ,
cedro digna loqui, cinerique inspergere flores,
pallentes violas & lugentes hyacinthos,
acclamo **FELICITER!** Illustrissima proles
aspiret cœptis ingentibus, ardua cedant
faustiter ut conamina. Quin feliciter intra
per portam augustam sacram Virtutis ad ædem.
Propria nobilitas sol est ac unica Virtus.

Nobilium palmare decus

V V A R N S D O R F I, E Q U E S L U S A T E

familiæ literis & armis

claræ

furcule eximie

de re laudabiliter gestâ

Tibi

gratulor

Guernerus Rolfinck, D. P.

F I N I S.



nc



e

S,

n.

1

2

ULB Halle 3
004 797 213


V. D. 17





h. 2, 79.

Vc
3578

Haus

SERMO PARENTALIS,

u
SERENISS
PRI
DN. JO
GL
Saxonia
via, Montium
fecti Pratorii,
Thuringia, Marc
tia, nec non B
Marca &
PII, PACI
In
AN
ADOLPH
JENÆ, I
SIMI
NIS
, Cli-
mperii Præ-
i Landgravii
riusque Lusa-
g. Comitis
usta in
ATRIS:
I.
rnsdorf/
dianis.

